



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Theologicæ De Doctrina S. Augustini Circa Prædestinationem Et Gratiam Christi

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1683?]


urn:nbn:de:hbz:466:1-40420



Th. 2170.

D. IV

3.



THEOLOGIE MORALIS

TRACTATUS

APPENDIX

IN QUIBUS PROPOSITIONES

DE MORALI THEOLOGIA

EX LIBRO THEOLOGIE MORALIS

EXTRACTAE SUNT

ET ORDINATAE SUNT

IN HOC APPENDICE

AD USUM SCHOLARUM

AD PRÆSENTIUM

AD USUM

AD PRÆSENTIUM

AD USUM

AD PRÆSENTIUM

AD USUM

AD PRÆSENTIUM

AD USUM


AD PRÆSENTIUM

AD USUM

AD PRÆSENTIUM

AD USUM

AD PRÆSENTIUM



THESES THEOLOGICÆ
DE DOCTRINA
S. AUGUSTINI
CIRCA
PRÆDESTINATIONEM
ET
GRATIAM CHRISTI.
QUAS PRÆSIDE
EX VIRO D. AC MAGISTRO N.
GUMMARO HUYGENS LYRANO.

DEFENDET
HENRICUS FRANCISCUS DEL'BORNE Stabulensis.

In Coll. Adriani VI. Pontificis, die 14. Januarii Anno 1683.



LOVANIÏ;
Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.

A R G U M E N T U M.



Arum Thesium argumentum est ostendere, quod secundum Aug. ad perseverantiam, scilicet finalem, in hoc statu naturæ lapsæ sit necessarium adjutorium per se efficax. Deinde quod simile adjutorium siue gratiam requirat Aug. ad alios actus bonos v. g. ad fidem, ad charitatem, &c. Quod tamen non ita intelligendum quasi omnia gratia efferret perfectam conversionem, aut persistentiam in conversione, cum evidens sit dari gratias que solummodo efficiunt tenue aliquod conversionis desiderium.

Occasio fuerunt quedam Theses Lovanii nuper defense, in quibus visus est earum Author admittere quod primum, scilicet de adjutorio perseverantia sit ex mente S. Aug.; sed negare secundum, scilicet de adjutorio ad alios actus bonos.

C O N C L U S I O P R I M A.

EX discrimine quod S. Augustinus in lib. de corr. & gratia statuit inter adjutorium naturæ innocentis, & adjutorium naturæ lapsæ, facile colligitur quod adjutorium siue gratia naturæ lapsæ ad perseverandum in iustitia sit per se efficax; siue quod per ipsammet gratiam in hoc statu efficiatur ut perseverare velimus, & reipsa perseveremus, adeo ut per istam gratiam non habeatur sola volendi & perseverandi possibilitas, sed ipsamet actus, siue ipsamet volitio & perseverantia: voluntas ergo non determinat istam gratiam, sed gratia voluntatem. Hæc loco definitionis termini, ut vocant, id est, ut explicemus quid per terminum illum, gratia per se efficax, intelligamus. Distinguitur gratia efficax per se contra efficacem ab eventu, id est, efficacem à voluntatis determinatione, quæ gratia (cum ex se solam possibilitatem præstet) à voluntate determinatur ad actum. Occasio assignandi discrimen inter adjutorium perseverandi datum naturæ innocenti, & adjutorium perseverandi quod modo datur naturæ lapsæ fuit quod propter doctrinam S. Augustini ali qui vel aliquis diceret, neminem corripiendum, si in observantia mandatorum Dei non perseveret; sed pro illo ut perseveret tantummodo orandum. "Possum, inquit, possum omnino quando me arguit, quod ex bona vita in malam meâ voluntate relapsus sum, dicere adhuc: quid ego feci qui non accepi? Accepi enim fidem quæ per dilectionem operatur, sed in illa usque in finem perseverantiam non accepi; an quisquam dicere audebit istam perseverantiam non esse donum Dei, & hoc tam magnum bonum ita esse nostrum, ut quisquis id habuerit, non ei possit Apostolus dicere: quid enim habes quod non accepisti, quoniam hæc sic habet, ut non acceperit", Aug. de corr. & grat. c. 6. Ex hac contra correptionem objectionem, & subiecta de dono perseverantiæ interrogatione, sumpsit S. Aug. occasionem in hoc libro tractandi de correptione & de gratia, potissimum de gratia perseverandi: nam interrogatio specialiter erat de illa, ut patet ex his verbis: *An quisquam dicere audebit istam perseverantiam non esse donum Dei &c. ? De gratia fidei quæ per dilectionem operatur, non erat in allegatis verbis quaestio: Accepi, inquit, fidem quæ per dilectionem operatur; fatebatur ergo non solam credendi possibilitatem, sed ipsam fidem à Deo esse datam. Et hæc una ratio est, cur in discrimine de quo mox agemus, non fuerit actum de adjutorio fidei & conversionis in hoc statu, sed solummodo de adjutorio perseverantiæ. Accedit & alia ratio: Deus primis Parentibus nostris, & Angelis juxta S. Aug. infudit castum sui amorem in ipsa creatione, adeoque juxta S. Aug. dedit eis non tantam gratiam possibilitatis, siue adjutorium quo possent illum castum Dei amorem incipere habere, sed adjutorium quo reipsa haberent. Quare attentâ mente S. Aug. non poterat discrimen statui inter adjutorium ad primam voluntatem bonam naturæ innocentis, quod hoc esset adjutorium sine quo non, & quod adjutorium ad fidem & conversionem in hoc statu sit adjutorium quo.*

I I.

Discrimen inter adjutorium perseverandi naturæ innocentis & lapsæ S. Aug. in dicto libro de corr. & grat. non semel, sed quater exprimit, ut tanti momenti doctrinam altius imprimat. Prima expressio habetur cap. 11. "dederat homini (in statu innocentia) Deus

„Deus bonam voluntatem : in illa quippè eum fecerat , qui fecerat rectum: dederat & ad-
 „jutorium *sine quo* in ea non posset permanere si vellet ; ut autem vellet, in ejus libero reli-
 „quit arbitrio. Et paulò ante : „Nec ipsum ergo Deus esse voluit *sine gratia* , *quam reli-*
 „*quit in ejus libero arbitrio* : quoniam liberum arbitrium ad malum sibi sufficit , ad bonum
 „autem nihil est , nisi juvetur ab Omnipotenti Bono : quod adjutorium , si homo ille per
 „liberum non deseruisset arbitrium semper esset bonus : sed deseruit , & desertus est : tale
 „quippè erat adjutorium , quod desereret cum vellet , & *in quo permaneret si vellet, non quo*
 „*fieret ut vellet*. Hæc prima gratia est , quæ data est primo Adam. Pergit deindè descri-
 „bendo gratiam naturæ lapsæ datam per Christum, quem vocat secundum Adam : „Sed hæc
 „potentior est in secundo Adam : prima est enim quæ fit ut homo habeat justitiam *si velit* ;
 „secunda ergo plus potest , *quæ etiam fit ut velit* , & tantùm velit , tantòque ardore diligit,
 „ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Hinc col-
 „ligit : quod adjutorium perseverandi in hoc statu naturæ lapsæ secundùm Aug. fit efficax per se
 „& non tantùm ab eventu : dicit enim quod per illam gratiam fiat , *ut homo velit & tan-*
 „*tùm velit , tantoque ardore diligit , ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spi-*
 „*ritus vincat*. Si hoc fiat per ipsam gratiam hujus statûs , ergò illa est efficax per se. Et ex ad-
 „versò si gratia hujus secundi statûs foret tantùm efficax ab eventu , sive à determinatione
 „voluntatis, de illa gratia dicendum foret quod Aug. in hac expressione dicit de gratia primi
 „statûs ; nimirùm esse *adjutorium in quo permaneret si vellet , non quo fieret ut vellet*.

I I I.

S Ecunda expressio discriminis habetur c. 12. de corr. & grat. „Ipsa , inquit , adjutoria
 „distinguenda sunt: aliud est *adjutorium sine quo aliquid non fit*, aliud est *adjutorium quo*
 „*aliquid fit*... Primo itaque homini qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse
 „non peccare , posse non mori , posse ipsum bonum non deserere , datum est adjutorium
 „perseverantiæ , non *quo fieret ut perseveraret*, sed *sine quo* per liberum arbitrium perseve-
 „rare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis , non
 „tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur , sed tale ut eis *perseverantia ipsa donetur*, non
 „solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint ; verùm etiam ut *per hoc donum*
 „non nisi perseverantes sint. Ex his iterum inferre licet: si per hoc adjutorium *perseverantia*
 „*ipsa donetur*, si etiam per istud donum fiat , *ut non nisi perseverantes sint*, consectaneum rursùs
 „est , ut istud donum gratiæ sit efficax per se. Nam si iterum tantùm foret efficax ab eventu ,
 „sive à determinatione voluntatis, de illo dicendum foret quod hic dicitur de adjutorio primi
 „statûs , nimirùm quod sit adjutorium perseverantiæ , *non quo fieret ut homo perseveraret* , sed
 „*sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*.

I V.

T ertio idem discrimen exprimit S. Aug. subsequentiis verbis : „ut ergo non acciperet
 „hoc donum Dei , id est , in bono perseverantiam primus homo , sed *perseverare* , *vel*
 „*non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio* , tales vires habebat ejus voluntas , quæ sine
 „ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat , ut dignè
 „tantæ bonitati & bene vivendi facultati perseverandi *committeretur arbitrium* : Deo qui-
 „dem præsciente quid esset facturus injustè , præsciente tamen , non ad hoc cogente , sed
 „simul sciente quid de illo ipse faceret justè. Nunc verò posteaquam est illa magna peccati
 „meritò amissa libertas , etiam *majoribus donis* adjuvanda remansit infirmitas.... ac per hoc
 „nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis , sed in ipso glo-
 „riari ; qui eis *non solum dat adjutorium quale primo homini dedit , sine quo non possint per-*
 „*severare si velint , sed in eis etiam operatur & velle* : ut quoniam non perseverabunt nisi &
 „possint & velint , perseverandi eis *possibilitas & voluntas* divinæ gratiæ largitate donetur.
 „Tantùm quippè Spiritu S. accenditur voluntas eorum , ut idèd possint , quia sic volunt ;
 „*idèd sic velint , quia Deus operatur ut velint* : nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua

A 2

ta-

„tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relin-
 „queretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si
 „vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate
 „suâ voluntas ipsa succumberet, & idè perseverare non possent, quia deficientes infir-
 „mitate nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est
 „igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divinâ gratiâ *indeclinabiliter & insuperabiliter age-*
 „*retur*, & idè quamvis infirma non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.
 Cum juxtâ hanc expressionem discriminis per gratiam hujus statûs non tantum *perseverandi*
possibilitas, sed etiam *perseverandi voluntas* donetur, cum etiam infirmitas voluntatis humanae
insuperabiliter & indeclinabiliter per gratiam agatur, necessum rursus est, ut ista gratia sit effi-
 cax per se: nam aliâs per istam gratiam nec daretur perseverantia, *sed perseverare vel non per-*
severare in ejus relinqueretur arbitrio; quod Aug. tribuit in hac expressione adiutorio primi statûs.

V.

Quartam expressionem subjungit Aug. verbis antè citatis: „Ita factum est, ut volun-
 „tas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei,
 „cum & voluntas primi hominis fortis & sana in ampliori bono non perseveraverit, habens
 „virtutem liberi arbitrii: quamvis non de futuro adiutorio Dei, *sine quo non possit perseverare*
 „*si vellet*; non tamen tali quò in illo Deus operaretur ut vellet: fortissimo quippè dimisit atque
 „permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante *invictissimè quod bonum*
 „*est vellent*, & hoc *deserere invictissimè nollent*. Dicitur in discriminis expressione *infirmis* Deus
 servasse ut ipso donante *invictissimè quod bonum est vellent*, & hoc *deserere invictissimè nollent*. Si
 hoc fiat per gratiam ipsius Dei, patet quod illa sit efficax per se; cum de gratia, quæ solùm est
 efficax ab eventu foret dicendum, quod hic dicitur de gratia primi statûs, quod nimirum per
 illam Deus in homine *non operaretur ut vellet*, sed quod ei *permittat facere quod vellet*. Uti ex
 singulis expressionibus probavimus quod adiutorium perseverandi hujus secundi statûs sit
 efficax per se, & non solùm ab eventu; ita quoque poterit facillimè probari oppositum de ad-
 jutorio primi statûs: cum characteres quos in singulis expressionibus adiutorio primi statûs
 tribuit S. Aug. clarissimè inferant quod sit solummodo efficax ab eventu. Similiter quoque
 probari poterit quod adiutorium primi statûs non sit efficax per se, cum aliâs adiutorio primi
 statûs competerent characteres quos S. Aug. tribuit adiutorio secundi statûs.

V I.

Ex discrimine assignato per S. Aug., emergit aliud nimirum, quod adiutorium perseve-
 randi primi statûs potuerit esse commune salvandis & damnandis (non enim præstabat
 ipsam perseverantiam, sed solam perseverandi possibilitatem) adiutorium verò perseverandi
 in hoc secundo statu electis proprium est, cum præstet ipsam perseverantiam. Quod ad-
 jutorium perseverandi primi statûs non solùm potuerit in illo statu omnibus tam salvandis
 quàm damnandis commune esse, sed reipsâ etiam omnibus commune fuerit, probat Aug.
 his verbis: „si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quum primum facti sunt,
 „defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere si
 „vellent, non utique sua culpa cecidissent: adiutorium quippè defuisset sine quo manere
 „non possent. Ex quo patet quod juxtâ S. Aug. homo vel Angelus non fuisset culpabilis,
 si sine ejusmodi adiutorio in primo statu cecidissent. Hinc ulterius collige, cur divinam bo-
 nitatem non decuerit vel permittere, ut in illo statu fuisset homo vel Angelus destitutus
 dicto perseverandi adiutorio. Secùs de hoc statu: „Nunc enim, ut ait Aug. quibus deest
 „tale adiutorium; jam poena peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur
 „non secundum debitum, & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum,
 „quibus id dare Deo placuit, ut non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiam si
 „velimus, verùm etiam tantùm ac tale sit, ut velimus. l. de cor. & grat. c. 11. Ex discrimine
 secundo mox à nobis assignato sequitur tertium, scilicet quod adiutorium perseverandi in
 statu

statu innocentiae potuerit esse merè sufficiens, imo quod re ipsa fuerit merè sufficiens in illis qui non perseverarunt, sed in hoc statu naturæ lapsæ in nullo sit merè sufficiens; quia ut jam dictum, non solum præstat perseverandi possibilitatem, sed perseverantiam ipsam: facit enim ut homo velit, & tantum velit, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Aug. de corr. & grat. c. 11. vel sicut c. 12. *Facit non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Per illud enim subventum est infirmitati voluntatis humana, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur. Infirmis enim hominibus Deus servavit, concedendo hanc perseverandi gratiam, ut ipso donante, invictissime quod bonum est vellent, & hoc deservere invictissime nollent. Cum ex his pateat, quod secundum S. Aug. adjutorium perseverandi in hoc statu præstet ipsam perseverantiam, scilicet finalem, evidens est, quod illud in hoc statu nunquam sit merè sufficiens: nam merè sufficiens vocatur auxilium quod sufficiens est & non efficax, jam verò omne istud auxilium in hoc statu secundum S. Aug. est efficax, efficit enim & quidem indeclinabiliter, ut perseverantes sint. Nec potest ulla verisimilitudinis specie dici quod S. Aug. præter hoc adjutorium perseverandi, quod in hoc statu semper est efficax, admittat adhuc aliud quod possit esse merè sufficiens: etenim si in aliquo efficax non foret, non præstaret in illo perseverantiam, sed solum perseverandi possibilitatem; adeoque famosum discrimen à S. Aug. assignatum, in posteriori suo membro non subsisteret. Non diffitemur equidem, quin sine dicto adjutorio quo seu efficaci perseverandi, habeatur in hoc statu quædam perseverandi possibilitates, remotæ scilicet aut saltem incompletæ, quæ etiam reperiantur in reprobis (remotissimam enim habent ratione naturæ, magis propinquam ratione gratiæ sanctificantis, si sint temporaliter justi, propinquiorem ratione quorundam auxiliorum actualium, ex gr. præstantium perseverandi velleitatem) adeoque etiam in ipsis sunt quædam auxilia perseverandi, sufficientia ut præstent aliquam perseverandi potentiam, sed illa propriè & exactè loquendo non sunt sufficientia ad ipsam perseverantiam, sive ad perseverandi actum, cum præter illa ad perseverandum in hoc statu ex parte Dei requiratur adhuc aliud auxilium, quod S. Aug. vocat *adjutorium quo*, id est, quo perseverantia ipsa detur.

V I I.

Author Thesium adversus quem has nostras dirigimus, ita habet: *Et vero discrimen illud* (intelligit discrimen famosum inter adjutorium perseverandi utriusque status) *sic intellectum* (quid designet per sic, non satis exprimit) *ab omnibus revere sentientibus rejiciendum est; Augustinus enim agit de gratia qua sancti in regnum Dei prædestinati perseverant. Censeo nos solos prædestinatos in hoc statu habere gratiam, omnemque eam esse qua illi actu perseverant.* Quibus verbis author iste admittere videtur, quod auxilium perseverandi in hoc statu secundum S. Augustinum faciat ut prædestinati actu perseverent, (si ita sentiat, convenimus in hoc puncto) sed negare videtur, quod reliqua gratiæ auxilia in hoc statu naturæ lapsæ secundum S. Augustinum dent ipsum actum, sive quod sint per se efficacia. Contra hoc jam ostendemus, quod secundum S. Augustini principia non minus efficax auxilium requiratur in hoc statu, ad justitiam incipiendam, quam ad perseverandum in illa. Sed prius observa quod idem ille Author in Thesibus suis anterioribus, satis multum nobis concesserit, ut jam (velit nolit) admittere cogatur, nostram sententiam de necessitate gratiæ per se efficacia ad omnes actus bonos (quam mox probabimus esse S. Augustini) absque omni nota posse sustineri: dixit enim in istis Thesibus: *Lubenter fatemur, sustineri posse absque omni notâ gratiam physicè prædeterminantem quam tenent Thomistæ non rejicientes gratiam merè sufficientem.* Hinc enim ineluctabili consequentiâ deducitur, nostram quoque sententiam sine nota sustineri posse: nam eodem sensu quo Thomistæ non rejiciunt gratiam merè sufficientem, etiam nos non rejicimus merè sufficientem: & vicissim eodem sensu quo nos rejicimus merè sufficientem, etiam Thomistæ rejiciunt merè sufficientem. Hæc evidenter probavimus in

The-

Theſibus *Historico-theol. de doctrina Lovaniensium* in quarum *Concluſione nona* oſtendimus, quòd omnis gratia propriè & exactè loquendo ſufficiens (id eſt, præter quam ex parte Dei nihil aliud requiritur) ſit efficax ſecundùm Thomiſtas; cum hi, ad exercendum actum ex. gr. amoris Dei ſuper omnia, requirant gratiam phyſicè prædeterminantem: ita quidem, ut fieri nequeat, ut ſine illa gratia iſte amor ponatur, & fieri etiam viciffim nequeat, ut poſitã illã gratiã amor iſte non ponatur. Quòd illi de gratia phyſicè prædeterminante, nos dicimus de delectatione caeleſti victrice delectabiliter trahente. Oſtenſum etiam eſt in dicta *Concluſione nona*, quòd ſecundùm Thomiſtas & ſecundùm nos aliter loquendum ſit de gratia, quæ ſolum remotè & incompletè, adeoque improprie eſt ſufficiens v. g. ad amorem Dei (quatenus, ut amor ille exerceatur, requiritur adhuc alia gratia) talem enim gratiam ſufficientem non ſolum poſſe eſſe dicimus, ſed etiam debere eſſe ſine amore Dei, quamdiu alia gratia non accedit. Hæc in *Compendium* contraximus ex dicta *Concluſione nona*. Quibus clarioris cauſã nunc addimus; certum eſſe, quòd gratia dans velletatem Deum ſuper omnia amandi, in illo qui abſolutum Dei amorem necdum habet, ſit reſpectu illius amoris gratia merè ſufficiens, intelligendo ſufficientem incompletè, adeoque improprie. Secus ſi intelligatur ſufficiens completè & propriè. Priori ſenſu cum Thomiſtis affirmamus in hoc ſtatu dari gratiam merè ſufficientem. Poſteriori ſenſu id negamus. Ergo ſecundùm dictum authorem Theſium noſtra hæc ſententia, quam ipſe toties Calviniſmi Lutheraniſmi, &c. ſuſpectam dixit, poſt-hac poterit ſine nota ſuſtineri. Deſinat proinde adverſus illam clamare Calvinum, Lutherum, Bayum, & Janſenium. Hæc occasione dictorum iſtius Authoris Theſium: nunc ad Aug. redimus, probaturi, quòd ſecundùm illum non tantùm ad finalem perfeverantiam, ſed etiam ad omnes actus bonos ac ſalutares in hoc ſtatu ſit neceſſaria gratia per ſe efficax.

V I I I.

DUm S. Auguſtinus in famoſo discrimine diſtinguit inter adjutorium perfeverandi primi ſtatus, quòd vocat *adjutorium ſine quo non* & adjutorium ſecundi ſtatus quòd vocat *adjutorium quo*, aſſignat utrique certos characteres. In prima expreſſione aſſignat adjutorio *ſine quo non* hunc characterem: *tale erat adjutorium quòd deſereret cum vellet, non quo fieret ut vellet*. In ſecunda aſſignat iſtum: *Adjutorium, non quo fieret ut perfeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perfeverare non poſſet*. In tertia: *Adjutorium, non quo acciperet hoc donum Dei, id eſt, in bono perfeverantiam; ſed perfeverare vel non perfeverare in ejuſ relinqueretur arbitrio*. In quarta: *Adjutorium ſine quo non poſſet perfeverare ſi vellet: non tamen quo in illo Deus operaretur ut vellet*. Jam vero nuſquam Auguſtinus agens contra Pelagianos aut Semipelagianos, tales characteres aſſignat adjutorio naturæ lapſæ ad credendum, ad primam juſtitiam acquirendam, &c. cum tamen maximè fuiſſet opportunum, imò neceſſarium illos vel æquivalentes aſſignare, dicendo quòd ſit adjutorium *ſine quo homo non poſſet credere*, & primam juſtitiam acquirere, *ſed non tale quo fieret ut crederet*, & primam juſtitiam acquireret: hoc enim plurimum valuiſſet ad ſatiſfactionem Semipelagianorum, nam hi (ut alia omittamus) ſentiebant gratiam Dei cunctos vocare, nullum prætereire, nulli ſe ſubſtrahere, ſed proprio quemque arbitrio parere vocanti. Patet ex carmine Proſperi de ingratis c. 10. Prætereà aſſerebant, quòd juſtitia Dei in eo ſit, ut qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferentè univerſos velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, S. Proſper in ep. ad S. Aug. Denique dicebant: quòd ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem utriuſque præviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione, præſcierit. Ibidem. Si Auguſtinus gratiæ hujus ſtatus ad fidem & ad primam juſtitiam tribuiſſet jam dictos characteres adjutorii primi ſtatus, ipſius ſententia non repugnaret aſſignatis dogmatibus Semipelagianorum: quia adjutorium quòd tale eſt, ut *ſine ipſo homo non poſſit credere*, aut primam juſtitiam acquirere, ſed non *tale quo fiat ut credat*, & primam juſtitiam habeat, ejuſ modi

modi, inquam, adiutorium potest omnibus etiam non cooperantibus esse commune: Potest indifferentem, quantum est ex parte Dei, universis dari ad salutem. Etiam cum eo optime consistit predestinatio ex premissis meritis, quam tantopere urgebant Semipelagiani. Si proinde S. Augustinus sic, quemadmodum mox dictum, sensisset de adiutorio ad fidem, & primam iustitiam in hoc statu, debuisset istam sententiam manifestare Semipelagianis: cum hoc non fecerit, recte colligitur, quod aliter senserit. Hoc etiam indicat directa oppositio S. Augustini respectu dogmatis, quae ex Semipelagianis iam assignavimus. Nam primo illorum dogmati opponitur hoc S. Augustini: "illis datur ut credent, illis non datur: quia nemo, inquit Christus, venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum." De praed. SS. c. 8. Secundo Semipelagianorum dogmati opponitur hoc: "Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur: & ex duobus aetate iam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita voceatur, infructabilia sunt iudicia Dei." Aug. de dono persever. c. 9. Tertio opponitur istud: "Elegit nos, ut essemus Sancti & immaculati, non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, praedestinas ut tales per gratiam eius essemus." S. Aug. de praed. SS. c. 8. Si sententia Augustini ea fuisset, quod adiutorium & ad fidem, & ad primam iustitiam sit adiutorium sine quo homo non possit credere aut primam iustitiam habere, sed non tale quo fiat ut credat, aut primam iustitiam habeat, non solummodo cum Semipelagianis, sed etiam cum Pelagianis magis consenserit S. Augustinus. Quod vel maxime admittere debet Molina qui in Conc. quest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro ult. postquam a se tradita de gratia & predestinatione recensuisset, subiungit: "Quae si data explanatione semper fuissent, forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtinentes cum divina gratia, praescientia & predestinatione coherere non posse. Nec ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiae illae Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Hilarii & Prosperi fit mentio, fuissent extinctae." Ita Molina.

I X.

Gratiae perseverandi secundi status, quam S. Augustinus vocat *adiutorium quo in prima* expressione famosi discriminis, assignat hunc characterem, *qua fit ut homo velit*. Similem tribuit adiutorio fidei & conversionis in hoc statu: "Si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secundum praecceptum Domini pro persecutoribus suis? ... quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus illis operetur & velle?" De praed. SS. c. 8. In secunda expressione discriminis sic dicit: *qua fit ut ipsa perseverantia donetur*. Conformiter dicit, *fides inchoata & perfecta donum Dei est, & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare.* Cap. 8. de praed. SS. In tertia discriminis expressione, assignat gratiae perseverandi hunc characterem: *qua infirmitas voluntatis humana insuperabiliter, & indeclinabiliter agatur*. De adiutorio ad credendum, & ad alios actus sic ait: "Valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua Pater auditur, & docet ut veniatur ad Filium.... nimirum gratia ista secreta est, gratiam vero esse quis ambigat, haec itaque gratia quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primis auferatur." cap. 8. de praed. SS. In quarta discriminis expressione assignat S. Augustinus gratiae perseverandi in hoc statu hunc characterem: *qua fit ut Deo donante invictissime quod bonum est velint*. Simili modo loquitur de auxilio gratiae ad quemlibet actum bonum: "certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & iudicia mea observetis, & faciatis." de grat. & lib. arb. cap. 16. X. Quod

Quod S. Aug. de adiutorio ad fidem & primam iustitiam non minus quam de adiutorio perseverandi in hoc statu sentierit, quod etiam sit adiutorium quo, adeoque per se efficax, colligitur quoque ex probationibus eius desumptis ex S. Scriptura: si quidem dum id probat de adiutorio perseverandi, assumit loca Scripturae S. quae sua generalitate se extendunt etiam ad adiutorium pro aliis actibus bonis; probat enim per haec, *non vos me elegistis, sed ego elegeri vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis.* Joan. 15. *Deus operatur velle...* ad Phil. 2. *Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua. Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ad Rom. 9. *Quid enim habes quod non accepisti?* 1. Cor. c. 3. Si ex his locis S. Aug. recte probaverit quod adiutorium perseverandi in hoc statu sit per se efficax, necessarium est dicere quod secundum ipsum, etiam adiutorium ad fidem & alios actus bonos ac salutare, sit adiutorium quo, sive per se efficax: nam si hoc adiutorium non foret per se efficax, male probasset ex dictis locis Scripturae, quod adiutorium perseverandi sit adiutorium quo, sive per se efficax; quandoquidem illa S. Scripturae sententiae, cum generaliter loquantur de omnibus actibus bonis, idem prorsus inferant de adiutorio ad alios actus bonos, quod inferunt de adiutorio perseverandi. Hinc fit, ut S. Aug., sicut ex Scriptura S. probat quod Deus non solum det perseverandi possibilitatem in hoc statu, sed etiam perseverantiam, ita quoque ex Scriptura S. probet, quod Deus non solum dat credendi possibilitatem, sed etiam ipsam fidem, ut specialiter videre est de praed. SS. c. 5. Nec raro ista probat ex iisdem locis Scripturae Sacrae, non solum divisim, sed etiam quandoque conjunctim, ut de bono persever. c. 2. ex hoc: *vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo.* Ad Phil. 1. Et de Praed. SS. c. 5. ex illo: *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4. Si aliqua ex sententiis Scripturae S. hac conclusione allegatis, aliquando ab Augustino fuerit attributa primo statui (quod fieri potuit, ubi ex professo non egit contra Pelagianos) id vel factum est per accommodationem, non per proprietatem; vel factum est ratione primae voluntatis bonae, cum qua Deus Adamum & Angelos creavit: nam alias foret Augustinus arguendus magnae stupiditatis, dum necessitatem auxilii quo, sive per se efficacis probaret ex talibus sententiis Scripturae quarum veritas, ipsomet fatente, in proprio sensu subsisteret, etsi tantum daretur auxilium sine quo non. Quare nullatenus admittendum, quod aequè pro isto, ac pro hoc statu (quemadmodum dicebat pluries citatus Thesium author) valeat istud, *QUIS TE DISCERNIT?* Imò & illud: *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.*

X I.

EX rationibus S. Augustini, quae non minus quam Scripturae communes sunt adiutorio perseverandi, & adiutorio ad alios actus bonos, idem colligitur. Una ratio est infirmitas arbitrii per peccatum ita vulnerati, ut jam nequeat, secundum S. Augustinum, ab arbitrio adiutorium sine quo non determinari ad actum, sed necessarium sit, ut ab adiutorio quo ipsum liberum arbitrium determinetur ad actum. "Qui non infertur in tentationem, inquit Aug., non discedit à Deo, non est hoc omninò in viribus liberi Arbitrii quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet., Ergò priusquam homo caderet, non discedere à Deo erat in viribus liberi arbitrii (non tamen, ut clarum est ex Augustino, nisi mediante adiutorio sine quo non)" Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam voluit Deus pertinere, ut homo accedat ad eam; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, cur homo non recedat ab eo., De bono persever. cap. 7. Dum ait: *Post casum hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere &c.* procudubio intelligit gratiam quae sit adiutorium quo: Nam alias corrueret contrapositio inter liberum arbitrium hominis integri, & hominis lapsi, verbis istis asserta. Ex quibus patet quod secundum S. Augustinum, arbitrium hominis lapsi debeat per adiutorium quo determinari, aequè ut ad Deum accedat, ac ut non recedat, id est, aequè ad alios actus bonos, quam ad perseverantiam. Infirmitas liberi arbitrii, etsi non solum, potissimum equidem est à concupiscentia, sive delectatione terrenâ. Hanc concupiscentiam, ut homo bene agat, oportet superari à delectatione caelesti, juxta illud S. Augustini princi-

pinum, quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Intellige necessitatem infallibilitatis, sive ut alii, necessitatem consequentiae, non consequentis. Ex quo generali principio, cum se extendat non minus ad alios actus bonos, quam ad perseverantiam, emergit nova ratio, cur secundum S. Augustinum non minus ad alios actus bonos, quam ad perseverantiam in hoc statu requiratur *adjutorium quo*; siquidem utrobique requiritur delectatio caelestis superans terrenam, adeoque juxta hoc principium S. Augustini, infallibiliter dans ipsum actum, ac proinde per se efficax, sive *adjutorium quo*.

X I I.

Hinc patet, quod in probationibus S. Augustini, sive ex Scriptura, sive ex ratione, fuisse palpabilem defectum, si S. Augustinus per illas conclusisset *adjutorium perseverandi* in hoc statu esse *adjutorium quo*, & tamen *adjutorium* ad alios actus bonos censuisset esse solummodo *adjutorium sine quo non*. Hunc defectum adeo palpabilem proculdubio Augustino objecissent Semipelagiani: etiam Molinae discipuli, adversus quos egerunt Majores nostri in sua Censura, & justificatione ejus. Ut ex his positivi aliquid inferamus: Ab ipsis Augustinus tamquam imperitus, stupidus ac cecus habetur, ut non modo gratia ipsius, de qua dissererat, vim, naturamque nescierit, sed nec arbitrii humani libertatem, ne monitus quidem dogmate suo evenire se senserit. Ita de illis testantur Lovanienses praef. Cens. p. 7. Non culpant illic specialiter doctrinam S. Augustini de gratia perseverandi, sed generatim quae docuit de gratia, sive ad perseverandum, sive ad alios actus bonos. Et sane oppugnantibus S. Augustini nihil fuisset magis opportunum, quam invisam sibi ejus doctrinam de *adjutorio quo* ad perseverandum in hoc statu, ostendere non esse fundatam, eo titulo quod Augustinus eam fundaret super sententia Scripturae Sacrae, & rationibus communibus tam *adjutorio* ad alios actus bonos, quam ad perseverantiam: nam si Augustinus falsus fuisset, quod nec ex illis concluderetur *adjutorium* ad alios actus bonos esse *adjutorium quo*, sive per se efficax, facillimum erat ex hac ipsa Augustini confessione ostendere, quod ex iisdem, sive scripturis, sive rationibus, invalidè conclusisset *adjutorium perseverandi* esse *adjutorium quo*, sive per se efficax.

X I I I.

EX doctrina S. Augustini de necessitate gratiae per se efficacis pro hoc statu naturae lapsae evidenter sequitur ejusdem doctrina de praedestinatione gratuita, id est, praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita. Etenim si Deus his prae illis dederit gratiam per se efficacem ad fidem, ad charitatem, ad perseverantiam finalem, ideò dedit, quia his prae illis voluit fidem, charitatem, finalem perseverantiam. Et rursus si his prae illis haec omnia voluerit, aut saltem illis non voluerit finalem perseverantiam quam his voluit, id eisdem voluit, quia his prae illis voluit vitam aeternam, adeoque hos prae illis independentè à praevisione meritorum ad vitam aeternam praedestinavit: "Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, inquit Aug. ep. 105. si credant quod sine ullis praecedentibus meritis Deus cuius vult miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult Religiosum facit, parum attendunt, quod debita reddatur poena damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum quatur, nec dignum se iste gloriatur, atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis & offensionis involvit: ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Hac Aug. Hoc propositum vocationis Dei querebantur Massilienses in Epist. Prosperi ad Aug. quo velintè mundi initium, vchin ipsa conditione generis humani eligendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliae sint creati & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis adferre. Dum haec illi adversus Aug. sententiam, non solum ostendunt quid in sententia Aug. sibi displicerit, sed etiam quae illa sententia firmiter: quod postremum non minus ostendunt, dum Aug. sententiae opponunt hanc suam: "quae (Prospero teste) propositum & praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia

Quia finem utriusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit., Hinc Semipelagianorum sententiam S. Aug. ubique, ut ait Bellarminus, oppugnat, sed specialiter in libris de prædestinatione SS. & bono persever. Porro hæc S. Aug. de prædestinatione sententia tam insolubili vinculo connexa est alteri de necessitate gratiæ per se efficaci, ut nemo possit admittere hanc de gratiæ per se efficaci quin etiam admittat illam de prædestinatione gratuita; inveniuntur tamen qui cum Aug. sentiunt de prædestinatione gratuita & equidem dissentiant ab illo circa gratiam per se efficacem, quorum sententiam non solum improbant argumenta ab Aug. pro gratiæ per se efficaci allegata, item præconia Ecclesiæ pro autoritate Aug. in materia gratiæ sapius pronuntiata; sed insuper illam triplici ex capite semet-ipsam destruere argumentis ad minus plausibilibus parati sumus ostendere.

X I V.

Facile etiam est ostendere, quod nulla possit fieri alicujus momenti objectio adversus efficaciam adjutorii quo ad alios actus bonos, quin eadem vel similis, mutando paulisper terminos, possit formari contra efficaciam auxilii quo ad perseverandum in hoc statu, ut v. g. si dicant istud adjutorium destruere libertatem arbitrii, etiam dicemus hoc destruere, & eodem fundamento quo ex Aug. ostendimus hoc non destruere libertatem arbitrii, etiam ostendimus per istud non destrui. Voluntas nostra, quia est in potestate, libera est nobis. Augustinus de lib. arb. lib. 3. c. 3. & ante eodem cap. non posses aliud sentire esse in nostra potestate, nisi quod cum volumus facimus. Facere cum volumus, sive quia volumus, est facere voluntate non ut natura est, prout efficit motus primo-primos, sed ut voluntas est, id est, voluntate semetipsam ex ductu rationis determinante. Ex hæc ostendimus, quod gratia per se efficax libertatem nullatenus destruat, sed prius ostendendum, quod adversus descriptionem istam perperam allegetur eam esse traditam ab Augustino adhuc juvene, non verò jam sene, & in sacris litteris consummato. Siquidem in lib. de grat. & lib. arb. quem scripsit senex, & in sacris litteris peritissimus, & quod præcipuum, adversus ipsosmet accusatores libertatis, adeoquæ eò fine, ut gratiam à se assertam probaret non destruere libertatem. In illo ergo libro libertatem arbitrii probat his scripturæ locis: *noli vinci à malo. Nolite fieri sicut equus & mulus, &c. Item, quod vult faciat, non peccat si nubat. Si volens hoc facio, mercedem habeo.* Deindè viginti & amplius istius generis sententiis ex scripturâ adductis, addit: *Nempè ubi dicitur, NOLI HOC, & NOLI ILLUD, & ubi ad aliquid faciendum in divinis litteris opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Verissimam ergo supponit Augustinus senex doctrinam olim à se juvene traditam, non posses aliud sentire esse in potestate nostra (id est libertate) nisi quod cum volumus facimus, ineptissima foret illa probatio, adeoque Augustino, quid ni & ipsâ Ecclesiâ, que per eum gratiæ inimicos vicit, indigna, si ex istis locis scripturæ Sacræ non rectè probaretur arbitrii libertas, id est, si non subsisteret hoc Augustini dogma: *non posses aliud sentire esse in nostra potestate, nisi quod non volumus facimus.* Patet ex hac doctrina S. Augustini libertatem consistere in potestate sive dominio voluntatis super suis actibus, quod, etsi non habeat super omnibus, habet super illis, quos exercet quia vult, id est, ex ductu rationis se determinando ad agendum vel non agendum. Hæc doctrina conformis est doctrinæ Thomistarum afferentium, *cum iisdem prærequisitis stare simul in libero arbitrio, facultatem & potentiam, quâ potest operari si velit, vel non operari, si velit.* Hunc connaturalem modum agendi voluntatis ut voluntas est, gratia per se efficax non tollit, quin potius intellectum illuminando, & voluntatem determinando, ut connaturali modo suo agat, id est, ut ex ductu rationis seipsam determinet, libertatem tantò magis auget, quantò magis intellectum illuminat, quantòq; magis voluntatem determinat, ut seipsam determinet, voluntas libera tantò erit liberior quantò sanior, tantò autem sanior, quantò divina misericordia gratisque subjectior. Aug. ep. 89, q. 2. Hinc ubi major gratia, ibi major libertas, ubi ergo maxima gratia, illic libertas maxima; adde, & illic, quantum est ex parte modi agendi, necessitas minima, siquidem agere voluntate, sive quia volumus, & agere necessitate, secundum S. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 3. directè sibi opponuntur. Conformiter S. Bern. de lib. arb. c. 3. quòd ex necessitate

fit, non jam ex voluntate, & è converso. Facile hinc videre licet, quomodo amor beatifici reverà sit liber; imò & liberiotem esse, quam sit amor viatorum, colligitur ex S. Augustino lib. ult. de Civit. Dei cap. ult. "Primum, inquit, liberum arbitrium quod homini datum, est quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare, hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit & alibi: quid enim liberius, erit libero arbitrio, quando non poterit servire peccato?" De corr. & grat. cap. 11. Facile est ex his videre, quod in Christo fuerit major libertas, quam in ullo alio viatore. "An, ideò fortè in illo libera voluntas non erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato, servire non poterat?" August. de prædest. SS. cap. 15. Nec refert quod Christus peccato servire non poterat, quia impotentia illa erat voluntaria.

X V.

Est etiam quedam voluntaria impotentia in iis, qui gratia destituti, ideò secundum Phrasim Scripturæ S. dicuntur non posse, quia non volunt. Hoc sensu Fratres Joseph non poterant ei quidquam pacifice loqui. Gen. 37. *Cum factus consilium non habeas, non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.* Ecclesiast. 8. *Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis?* Joan. 5. Simili sensu superbus & vindicativus dicet quod non possit se coram inimico offenso humiliare: ideò enim non potest, quia non vult, & faceret, si vellet. Sicuti in homine gratia destituito, non agnoscimus impotentiam ad bonum, nisi voluntariam; Ita in illo qui gratia efficaci prævenitur, non agnoscimus impotentiam ad malum, nisi voluntariam: nam ideò fatebatur Joseph se non posse hoc malum, scilicet adulterium, facere quia volebat. Et hæc impotentia tanto magis est voluntaria, quanto major est gratia. Aliam prorsus ac propriè dictam impotentiam quilibet in se agnoscit ex. g. ad volandum: hæc enim non est voluntaria; nec volaremus, etsi vellemus. Quare etsi volatus, propriè & absolute loquendo, sit nobis impossibilis; non tamen propriè & absolute loquendo, gratia destitutis impossibilia sunt præcepta Dei. Nam quemadmodum Augustinus dicit, quod *posse credere sit natura, & credere gratia*; ita generaliter dicendum, quod Dei præcepta ex. g. de spe & charitate, posse adimplere, sit naturæ, sed ipsa illa adimplere, sit gratiæ. Porro sicut sine gratia, propriè & absolute loquendo homo ratione naturæ habet potentiam scilicet remotam ad bonum, ita sub gratia habet potentiam exercendæ malum: quam potentiam etiam potentissima gratia non omnino excludit, licet minimè fiet ut cum tali gratia consistat malum. Ex quibus collige, qualiter cum beatitudine consistat potentia omittendæ amorem beatificum, etsi fieri nequeat, ut cum illâ consistat omisio amoris beatifici. Quod de beatis dicimus, facilius admittes, si in ipsis præter potentiam physicam consideres potestatem moralem, ratione cujus perfectissimum habent dominium super amore beatifico, & aliis suis actibus ac omissionibus. Si quidem Beati perfectissimè agunt quia volunt, id est, ex perfectissimo ductu rationis, perfectissimè se determinant ad agendum & omittendum quidquid volunt agere vel omittere. Si adversarii hæc admittere renuant, sciant nos longè minùs admissuros, aut admittere posse modum quo illi secundum sua principia cum præcepto Patris & prædefinitione actuum Christi Domini conciliant libertatem Christi, cum ex libertate Christi deducatur ineluctabili consequentia libertas amoris Beatifici. Si rursus nobis objiciant definitionem libertatis: *Potestas ad agendum & non agendum posita etc.* (ut omittamus, quod simili ratione eam objicere poterimus adversus explicationem ipsorum de libertate Christi) iterum dicemus, eam nec autoritate legitima, nec bonis in Theologiam meritis esse stabilitam. Vide conclusionem 8. & 10. in nuperis Thesibus Historico-Theol. de doctrina Lovaniensium: ubi data est ratio, cur admitti non possit definitionis istius sensus compositus; licet cum Thomistis admittamus divisum, id est, illum secundum quem dum omnia ex. g. ad actum charitatis prærequisita jam posita sunt adhuc manet possibile ut oppositum actus ponatur: non illum secundum quem, cum omnibus ad agendum prærequisitis, oppositum actus componi possit, etsi cum prærequisitis componatur potestas ad oppositum actus. *Si electio est ad certum gradum.*

B 2

dum.

dum gloria, inquebant Molinæ Discipuli, igitur omnia opera justorum debent absolutâ Dei voluntate esse præordinata, nec poterunt aliter, nec aliud operari, quàm sit à Deo præordinatum, quod est contra libertatem. Ita illi (proculdubio ob istum sensum compositum) in assertione 23-earum, adversus quas agunt Censuræ Lovaniensis & Duacensis. Quæ assertio si vera sit, poterunt Calvinus & Luterus, pro suâ sententiâ negante libertatem arbitrii, non solum allegare Augustinum & Thomam cum suis discipulis; sed omnes penè Theologos qui unquam fuerunt, vel modò sunt in Ecclesia, exceptis Molinâ & discipulis ejus, id est, pro suâ hæreticâ sententiâ allegare poterunt, omnes quotquot olim tradiderunt, vel jam tradunt prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita. Ex quibus rursus patet quæ dictæ definitionis cum suo sensu composito sint merita in Theologiam. Prorsus ergo neganda est ista definitio cum suo sensu composito. Nullum quoque dubium est, quin bonorum actuum prædefinitio & prædestinatio ad gloriam ante prævisa merita (quam vel ipso Bellarmino teste, S. Augustinus ex divinis litteris solidissimè probavit) consistant cum libertate arbitrii. Prædefinitio siquidem & prædestinatio, etsi cum opposito actûs prædefiniti ac prædestinati componi nequeant, connaturalem equidem voluntatis agendi modum ante descriptum non tollunt; quod, velint nolint, debent sateri sufficere ut non tollant libertatem: consistit ergo pariter cum libertate arbitrii gratia etsi efficacissima, quia dictum agendi modum non solum non tollit, sed etiam confirmat & auget. Ex quo rursus consequens est quod non solum non auferat voluntati libertatem (quemadmodum nec prædefinitio nec prædestinatio) sed illam etiam confirmet & augeat, confirmando & augendo sæpiùs dictum connaturalem voluntatis agendi modum; atque ita longius excludendo agendi necessitatem. Nam ut antè ex Bernardo dictum: *quod ex necessitate fit, non jam ex voluntate, & è converso.* Quod præindè maximè fit ex voluntate minimè fit ex necessitate. Ex quibus rursus concluditur verè dixisse Aug.: *Quid liberius libero arbitrio, quando non poteris servire peccato?* Aug. cap. 11. de corr. & grat. Sed inquirunt. Beati non habent potentiam omittendi amorem beatificum, nisi positâ aliquâ conditione impossibili. Resp. verum esse in sensu composito, secundum quemcum statu Beatorum adeoque cum prærequisitis ad amorem beatificum componi possit ommissio amoris beatifici. Sed in hoc nihil speciale, cum etiam viator non nisi aliquo impossibili posito cum prærequisitis ad charitatem potest componere omissionem ejus. Sed Beati cum prærequisitis habent potestatem omittendi amoris beatificum in sensu diviso, non minus quàm viatores cum prærequisitis ad charitatem habent potestatem illam omittendi in sensu diviso.

XVI.

Quia definitionem illam libertatis: *facultas qua postis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & non agere*, diximus nullâ legitimi auctoritate esse stabilitam, conatus est sæpè citatus Thesium author contrarium persuadere. *Quàm eruditè, inquit de me, verè, piè catholicè omnia, omnia colligere licet ex eo, quod libertatem istâ definitione comprehensam Aristoteles cum Peripatheticis, D. Thomas cum Theologis, S. Augustinus cum Patribus, Traditio cum Scripturis, Pontifices RR. cum Conciliis, contra Astrologos docuerint, probaverint, desinverint.* Prodiit post hæc eodem anno 1681. Censuris nomine suppresso, & authoris mentito, libellus cui titulus *Doctrina nova de libertate, &c.* probaturus singula quæ in verbis ex dicta Thesi citatis pro ista definitione stabienda, erat asserta. An ex omnibus illis (excipio quæ ex Theologis recentioribus referuntur) vel unum probaverit, mox patebit. Vis definitionis & punctum contentionis (quidquid chimerarum fingat libellus) consistit in illis particulis: *Postis omnibus ad agendum prærequisitis.* In his enim fundatur sensus compositus, qui totius Molinisticæ doctrinæ est fundamentum. Propter istas particulas (nam cætera extrâ contentionem sunt) dixeram pro illâ definitione *non allegari, quod sciam, vel unum Ecclesie Concilium, vel ullius Pontificis Decretum, aut unius è SS. Patribus sententiam.* Ut hanc meam assertionem destruat, ait ab Arist. dictum: *quibus in rebus nostra in potestate situm est agere, in iis & non agere.* Deinde varia ex Augustino, S. Thoma, Concilio Tridentino, quibusdam Pontificibus, ac aliis SS. Patribus ab Augustino distinctis allegat: sed ex nullo illorum aliud

probat, quam liberum nostrum arbitrium esse potestatem agendi, & non agendi, vel agendi aliquid, & agendi oppositum. Quod prorsus est extra quæstionem, adeoque nihil omnino ad rem facit. Ostendendum enim erat quod aliquod Ecclesiæ Concilium, vel unius Pontificis Decretum, aut minùs è SS. Patribus sententia posuerint in definitione libertatis istas particulas, *possis omnibus ad agendum prerequisiteis*, de quibus solis erat contentio & quæstio. Expectamus ergo ut saltem posthac, vel in uno ex illis ostendatur ista definitio. Hoc ergo peto ab ante designato Thesuro Authore, ut designet locum Aristotelis, D. Th., Aug. &c. in quo habetur ista definitio. Iterum dico, assignet locum saltem in uno illorum, cum tam audacter sit locutus de omnibus; sed frustra hæc expectari colligitur ex ineptiis ante dicti libelli. Quis hinc non videat, quàm verè dixerit Thomas de Lemos hanc definitionem cum sua explicatione, „non ex Aristotele aut doctrina ejus, non ex Augustino, aut SS. Patribus, „non ex Mag. sent. S. Thoma, aut Doctore aliquo ex gravioribus didicisse recentiores.,

XVII.

CONTRÀ nostram, seu veriùs Aug. doctrinam de gratia per se efficaci non tantùm ob-
jiciunt Adversarii, quod cum libertate non consistat, sed etiam quod nos eam tradentes cum nuper exortis hæresibus libertatem arbitrii negantibus consentiamus. Non, inquit, contrà Aug., sed contrà Lovaniensès hæc dicimus. Imò priùs contrà Aug. quàm contrà Lovaniensès hæc dicta esse à Molina Discipulis patet ex præfatione Censuræ Lovaniensès, dum in ea Majores nostri de illis conqueruntur, quod Aug. de Lutherismo ac Calvinismo suspectus reddatur, tamquam imperitus, stupidus ac cæcus habeatur. Ex quibus patet, quod Molina Discipulis non minùs Aug., quàm nostra de Gratia Christi & Prædestinatione sententia displicuerit; ut jam nil mirùm, quod tam multa contrà Aug. dixerit Molina, Vasquez, Peravius, Annatus, Joan. Adamus, Moiraines, Anton. Ricardus, Mariana, & tot alii Molina Discipuli. Quod hæreses nuper exortas attinet, Lutherus dixit „liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque „vocanti quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, nec posse dissentire si velit, sed veluti inanità, quoddam nihil omnino agere, merè que passivè se habere., Potestne homo sanæ mentis sibi persuadere quod talia dicant Lovaniensès? Imò quod talia dicentibus cum Tridentino non dicant anathema? Sed ex doctrinis vestris inquit, de gratia per se efficaci Lutheri dogma inferitur. Cui ego: quod non nisi per invalidam prorsus consequentiam: nam aliàs sententiam suam mutare debuissent Thomistæ quorum ex solo ordine Prædicatorum 58. Tridentino interfuerunt. Præterea intolerabilis est illè procedendi modus secundùm quem Adversarii non verentur nobis invisum aliquod consequens tamquam si à nobis doceretur, eo titulo adscribere, quod ipsi istud inferant ex aliqua propositione à nobis asserta. Quo modo enim ita ineptias, ut Philosophum quempiam assertentem quod continuum componatur ex punctis, dicas asserere hanc propositionem: *canis venaticus non currit velociùs quàm Limax*, quia nimirùm tu hanc ex illius assertione inferis? Quod adversùs Lutherum ait Tridentinum: quod *homo inspirationem Spiritùs S. recipiens, illam & abjicere possit*, nos pariter dicimus; quin & evidentissimùm esse, quod sepiùs re ipsa abjiciat, non tantùm istam inspirationem, sed etiam istius inspirationis effectum. Lutherus pariter & Calvinus docuerunt quod in hoc statu omnia opera, etiam quæ bona vocamus, si per se æstimentur, omnino sint peccata. Ex quo confectaneum est, liberum arbitrium post Adami prævaricationem amissè præcipuam libertatis portionem quæ est potestas bene agendi. Dicuntne hoc Lovaniensès? Dicuntne aliquid vel affine? Dixitne unquam aliquis illorum? Interim jam ab annis multis dum à Molina Discipulis refertur sententia Lovaniensium de necessitate gratiæ per se efficaci, continuò adjungunt, præcipuè ille adversùs quem agimus; *ita Lutherus, ita Calvinus, &c.* Tandem igitur vel ipse, vel Sociorum aliquis semel exprimat circumscriptis terminis, ne vaga semper maneat accusatio, hæreticum istum de libertate sensum, quem Lovaniensès cum Lutero, Calvino, vel alio quocumque tenere existimantur. Iterùm iterùmque peto determinatè exprimi hunc sensum, hæreticum scilicet, neque enim omnis sensus Lutheri, aut Calvini est hæreticus, possunt enim hæretici etiam circa istam

materiam in qua sunt hæretici, hæreticis orthodoxa miscere: peto ego (ut sit contentio-
 num finis) determinatè exprimi istum sensum hæreticum. Præter hoc saltem ille Theſium
 Author qui toties nos, & me præcipuè vagâ istâ accusatione maculare conatus est. Faciet
 hoc scilicet, quandò proferet legitimum testimonium, quo probet Lovanienses Deputatos
 de doctrina contenta libero qui dicitur *Censura Facultatum Lovaniensis*, &c. falsò testatos
 esse, *eam posse sine offensâ S. Sedis teneri & doceri*. Præstabit item dum in aliquo Ecclesiæ
 Concilio, Pontificis decreto, aut uno è S. Patribus ostendet hanc definitionem: libertas
 est *potestas ad agendum & non agendum positis omnibus ad agendum prærequisitis*. Præstabit
 rursus quandò sententiam Lessii à quâ post Decretum Sixti V. tota Societas iussa est recedere
 mandato sui Generalis, probaverit ab eodem Sixto vocatam esse *Sanam doctrinam*. Præsta-
 bit denique dum pro defensione prohibitionis Toletanæ *Methodum remittendi & retinendi*
peccata proſcribentis designabit in *Methodo* saltem unam ex condemnatis Jansenii.

XVI I I.

Præter ante expressos Lutheri aut Calvinii errores circâ libertatem arbitrii, superest ille
 quo ambo in terminis, ut aiunt, asserunt *liberum arbitrium post Adami lapsum esse extin-*
ctum. Lutheranis & Calvinistis ab hoc errore recedere fortè volentibus singulari impedi-
 mento erunt qui hanc majorem illis præfigunt: *Ad libertatem requiritur potestas agendi & non*
agendi positis omnibus ad agendum prærequisitis in sensu composito. Nam subſumendo hanc mine-
 rem autoritate Augustini & Thomæ, ac Discipulorum utriusque stabilitam: *Sed cum prære-*
quisitis ad actum bonum in hoc statu non potest componi oppositum actus; per consequentiam
 evidentem concludent Hæretici: *Ergò liberum arbitrium post Adami lapsum est extinctum*. Ex
 adverso si cum Augustino dicas, *non potes aliud dicere esse potestate siue libertate nostra, nisi*
quod cum volumus (voluntate scilicet ut voluntas est, prout ante explicatum) *facimus*; vel si
 cum Thomistis, quod idem valet, dicas ad libertatem sufficere ut cum prærequisitis stet simul
 in libero arbitrio facultas & potentia *quâ potest operari si velit, vel non operari si velit*: Si
 utrumque, vel alterutrum dicas, minùs difficilis erit dictorum hæreticorum conversio. Re-
 formati (inquiunt Reverendissimi Walemburgii Fratres *Compendii Controversiarum particu-*
larium, tom. 2. c. 57.) hoc tempore non dicunt gratiam ita esse à se ipsâ efficacem, ut excludant
 motionem moralem quæ est per consilia & suasiones. Similiter hoc tempore non docent
 Deum ita efficaciter movere voluntatem, ut postea non sit nostræ electionis motioni ejus
 aut obtemperare, aut refragari, tenent enim facultatem dissentienti consistere cum gratia
 efficaci, & id ipsum hîc tradunt quod Thomistæ libenter etiam fatentur, Deum per gratiam,
 vel motionem efficacem ita operari in nobis velle, & nos ad seipsum convertere, ut gratiæ
 prævenienti nostrum arbitrium pedisse quâ voluntate obsequatur liberè. Non igitur est
 necesse indagare quid Calvinus, quid alii antehac fenserint: sufficit eos nunc cum Catholicis
 Doctoribus sentire loqui &c., Ex his videre licet quantum Reformatorum conversionem
 Augustini & Thomæ de libertate sententia promovet tantùm illi obſistere sententiam illor-
 um qui ad libertatem requirunt dictum sensum compositum, id est, fieri posse ut cum
 gratia ad actum bonum requisita componatur oppositum istius actûs. Et ulterius hinc vi-
 deas hæreticorum conversioni esse utilius ut quantum veritate salvâ fieri potest ipsis conce-
 datur, & ex adverso esse admodum nocivum si ab illorum hæresi ad extremum oppositum
 devietur. Neque hoc solum, sed & Catholicorum subversioni causam dare potest iste nimis
 ab hæreticis recessus, dum his veluti articulus ad conversionem necessarius adeoque tanquam
 fidei proponitur qui satis solidè probari non potest, imò qui nonnunquam solidius ab hære-
 ticis improbatur. Quod non ita pridem cum ingenti Catholicorum luctu visum est dum pro
 Illustrissimæ cujusdam Matronæ conversione veluti necessarius articulus proposita est præ-
 destinatio post prævisa merita. Ex his quoque conſectaneum est non illic sententiâ aliquam
 de gratia vel libertate posse improbari quia tenetur à Lutheranis vel Calvinistis. Hinc iterum
 patet quàm parum adversarii intentum probent, nisi apud indoctum vulgus, dum Lovani-
 ensium sententias allegantes continuò subjungunt: *ita isti, vel isti hæretici*. Quo agendi

modo convincuntur sentire vel ideò veritatem esse deferendam quia tenetur ab istis hæreticis, vel hæreticos istos in illa materia nil dixisse veri: quæ præter quam quod ambo falsa sint, magnum proculdubidò præbent impedimentum hæreticorum conversioni, præcipuè dum iste agendi modus, prout fit, etiam ad alias materias Controversiarum cum hæreticis extenditur.

X I X.

Si gratia per se efficax necessaria sit in hoc statu ad omnem actum bonum ac salutarem, non potest, inquit Adversarii, *Christus dici mortuus pro omnibus*, cum gratia per se efficax non detur omnibus Resp. et si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat quibus meritum Passionis ejus communicatur. Trid. sess. 6. c. 3. Communicatur autem electis omnibus, sed non solis, nam etiam communicatur reprobis illis qui sunt temporaliter justis, aut à Deo accipiunt bonam aliquam voluntatem, vel certè bonam aliquam velleitatem, vel fortè etiam illis qui per externam Dei protectionem à quibidam peccatis præservantur. Dicitur *mortuus pro omnibus*, nimirum quoad magnitudinem & potentiam pretii & quod ad unam pertinet causam generis humani. Prosp. in resp. ad 1. object. Vincent. Objiunt præterea hunc locum Apostoli 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*: Siquidem ex doctrina de Gratia per se efficaci constans videtur quod Deus non velit nisi aliquos salvos fieri, illos scilicet quibus dat gratiam necessariam ad perseverandum, id est, secundum hanc doctrinam, solis perseverantibus. Cum Augustino Enchr. c. 103. "Deus omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset quem salvum fieri noller, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse poenitentiam, si fecisset: sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus, per quascumque dignitates distributum, Reges, Privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, &c.", Et Ep. 107. præmissis duodecim regulis inter quas hæc: Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari. Scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus eis quibus non datur, iusto Dei judicio non dari, subjungit: undè manifestum est eos qui huic resistunt tam perspicuè veritati non intelligere omninò quâ locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult; quod sine illâ caligine manifestatur in parvulis... Deus vult omnes homines salvos fieri, cum tam multos nolit salvos fieri, ideò dictum est, quia omnes qui salvi fiunt nisi ipso volente non fiunt, & si quo alio modo verba Apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimæ veritati in qua videmus tam multos volentibus hominibus, sed Deo nolente salvos non fieri, contraria esse non possint. Quidam Aug. apertè dissentientes binas istas Pauli sententias: *Christus pro omnibus mortuus est*, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, interpretantur ut Deus omnibus omninò in individuo, ut aiunt, det gratiam eo sensu sufficientem, ut præter illam ex parte Dei alia non requiratur ad actum. Et hi rursus sunt in duplici genere, nam aliqui illorum dicunt quod Deus omnibus affectu indifferenti det istam gratiam. His expendendum relinquo an, & quomodò se discernant in hac parte ab iis qui de gratia Christi profitentur:

*Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum:
Sed proprio quævisque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque suo motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat ulli.*

Siquidem hæc non ut Ecclesiæ Catholicæ doctrina (prout putavit Ripalda) sed ut Ingratorum sententia à S. Prospero in carmine de *Ingratus*. c. 20. refertur & refellitur. Qui in hunc modum circâ gratiam, etiam circâ Prædestinationem ab Augustino manifestè dissentiunt. Præter hos sunt alii qui cum Aug. sentiunt de Prædestinatione, & ab eo dissentiunt circâ Gratiam per se efficacem: qui etiam omnibus, sed affectu differenti aiunt dari gratiam antè dicto sensu sufficientem; electis scilicet congruam, Reprobis non congruam. Ut de congrua non petamus qualiter, cum solum det posse, infallibilem faciat Dei Prædestinationem: Ut etiam de non congrua non petamus quomodò ex infinito, ut ita dicam, reproborum numero per istam gratiam nullus intret in numerum prædestinatorum: de hac solum petimus, quomodò Deus per eam sincerè vult reprobos salvos fieri, cum Deo sciente & aliam gratiam dare nolente juxtà horum Theo-

logorum principia ipsis melius foret nullam habere gratiam quam talem; quia ut Theologi isti fateantur, per talem gratiam nullus unquam exercetur actus bonus, & sine tali actus bonus inculpabiliter omitteretur; quia, ut aiunt, non liberè omitteretur. Præterea ab utrisque quaerimus quomodo dicant omnibus dari gratiam dicto sensu sufficientem, cum parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantium succurri possit, expiret; plerumq; enim festinantibus parentibus & paratis ministris ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui cum parvulum in vita non tenuit ut daretur., Aug. de bono persever. c. 12. Denique objicitur: si vera sit sententia quam Augustini dicimus de necessitate gratiæ per se efficaci ad quemlibet actum salutarem, igitur omnis gratia in hoc statu erit per se efficax; vera proinde erit hæc damnata: *Interiori gratiæ in statu nature lapsæ nunquam resistitur* responderetur, ut nihil dicamus de resistantia respectu interioris gratiæ tenentis se ex parte voluntatis, item respectu gratiæ habitualis tenentis se ex parte voluntatis, dicimus etiam interiori gratiæ actuali in hoc statu multipliciter resisti. Pro quo notandum resisti Spiritui Sancto quando resistitur scopo & effectui Spiritus S. & consequenter gratiæ actuali, quando ejus scopo sive fini & effectui resistitur. Porro effectus & finis, remotus scilicet gratiæ incipientis conversionem est ipsa conversio: hæc verò sæpissimè ab homine impeditur, atque ita gratiæ interiori conversionem incipienti resistitur, ex. g. ædificationi inchoatæ dicitur resisti, si impediatur ne ædificium perficiatur. Secundò effectus & finis proximus gratiæ dantis perfectam conversionem est ipsa perfecta conversio, quæ per malitiam hominis sæpè postquam posita est iterum destruitur, atque ita ratione illius resistitur interiori gratiæ quæ illam primò posuit, aut postea conservavit. Sicuti dicitur aliquis resistere alicui Doctori, qui resistit doctrinæ ab ipso traditæ. Tertio etiam immediatè resistitur interiori gratiæ actuali, quatenus concupiscentia, etsi vincatur, equidem non desinit resistere: quin imò ita resistit, ut propterea fiat quod in homine qui plures habet aut majores concupiscentias non tam multum operetur gratia actualis, quam in alio qui per dona Spiritus Sancti antè recepta in præsentem magis est mobilis respectu Spiritus S. Declaratur per simile: ponamus non dari impetum sine motu; equidem corpus grave resistit impetui, & magis grave resistit magis. Ad hæc sæpè dictus Thesium Auctor: *Egregia enim vero*, inquit, *resistentia ut volunt lapidea*. Sed quo titulo lapideam vocat, an quia resistantiam vitalem declaro per exemplum lapidis? Nonnè pari ratione Christo Domino dicenti, *sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in me manseritis &c.* objiceretur, egregius enim verò fructus, ut vult, viteus. Etsi hi resistendi modi sint valdè proprii, vix equidem dubito quin eorum nullus satisfaciat Adversariis nostris; siquidem contendunt per condemnationem hujus: *Interiori gratiæ in statu nature lapsæ nunquam resistitur*, reprobata esse doctrinam de necessitate gratiæ per se efficaci, suamque stabilitatem, secundum quam fieri possit ut cum omnibus ad bene agendum prærequiritis iter oppositum actus. Nos verò utrumque illis negamus, dicimusque esse manifestum quod per dictam condemnationem nec reprobata sit doctrinà de necessitate gratiæ per se efficaci (nam doctrina Thomistarum, & discipulorum S. Augustini certo reprobata non est) nec stabilitas, aut veluti quæ teneri debeat approbata doctrina ipsorum: nam doctrina Molinæ aut aliorum admittentium in hoc statu gratiam solummodo efficacem ab eventu non debet vi dictæ condemnationis (ut manifestum est) à Theologis teneri & doceri.

P E R T I N E N S.

Quotquot cum Augustino, Bernardo, Hugone de S. Victore, Damasceno &c. non aliud ad libertatem arbitrii requirunt quam ut voluntas agat ut voluntas, id est, ut ex ductu rationis se determinet ad id quod vult, hi omnes cum S. Augustino loco ante citato & S. Thom. 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. dicere debent quod *major arbitrii libertas sit in Angelis qui peccare non possunt, quam in nobis qui peccare possumus*. Quæ doctrinà longius quam illi alii recedunt ab hac damnata, ad merendum &c. non requiritur libertas à necessitate; modo cum Augustino & Bernardo fateantur directè sibi opponi, *agere ex voluntate & agere ex necessitate*. Meritò proinde conatu suo frustrati sunt qui in Triumpho Thomistarum Germani Philaleris nuper in Urbe accusarunt doctrinam de libertate amoris beatifici.

A L I U D.

Si (malum non facere) ita esset in potestate quomodo fuit ante peccatum priusquam esset natura humana vitiosa, non utique posceretur orando, sed agendo potius teneretur. Aug. l. 6. oper. imp. c. 15



Theles
Doctorū
Academiae
Lovan.

Th

2170